

ante duodecim annos quam cum Pyrrho bellatum est, ad eadem Quirini, L. Papyrius Cursor, cum eandem dedicaret, a patre suo votam, a Fabio Vestali proditur. Sed neque facti horologii rationem vel artificem significat, nec unde translatus sit, aut apud quem scriptum id inuenit. M. Varro primum statutum in publico secundum Rostra in columna tradit, bello Punico primo, a M. Valerio Messala consule Catina capta in Sicilia: deportatum inde post xxx. annos, quod de Papyriano horologio traditur, anno urbis cccclxxvij. nec congruebant ad horas eius lineae: paruerunt tamen ei annis undecentum, donec Q. Marcius Philippus, qui cum L. Paulo fuit censor, diligentius ordinatum iuxta posuit: idque munus inter censoria opera gratissime acceptum est. Etiam tum tamen nubilo incertae fuere horae usque ad proximum lustrum. Tunc Scipio Nasica collega Lanatis, primus aqua diuisit horas aequae nocturnum ac dierum. Idque horologium sub tecto dicauit, anno urbis d. xcv. Tam diu populi Romani indiscreta lux fuit. Nunc reuertamur ad reliqua animalia, primumque terrestria.

C. PLINII SECUNDI NATURALIS HISTORIAE LIBER VIII.

De animalibus terrestribus. Elephantorum commendatio: & de sensu eorum. CAP. I.



DE RELIQUA trāseamus animalia, & primum terrestria. Maximum est elephas, proximumque humanis sensibus: quippe intellectus illis sermonis patri, & imperiorum obedientia, officiorumque quae didicere memoria, amoris & gloriae voluptas: imo vero (quae etiam in homine rara) probitas, prudentia, aequitas: religio quoque siderum, solisque, ac lunae veneratio. Autores sunt, in Mauritania saltibus ad quendam amnem, cui nomen est Amilo, nitescente luna noua, greges eorum descendere: ibique, se purificantes solemniter aqua circumspergi, atque ita salutato sideri in syluas reuerti, vitulorum fatigatos praese ferentes. Alienae quoque religionis intellectu, creduntur maria transitori non ante naues conscendere, quam iniurati rectoris iureiurando de reditu. Vtique sunt fessi aegritudine (quando & illas moles infestant morbi) herbas supini in caelum iacentes, veluti tellure praecipibus allegata. Nam quod ad docilitatem attinet, reges adorant, genua submitunt, coronas porrigunt. Indis arant minores, quos appellant nothos.

Quando primum iuncti. CAP. II.

Omne iuncti primum subiere currum Pompeij Magni Africano triumpho, quod prius India victa triumphate Libero patre memoratur. Procilius negat potuisse Pompeij triumpho iunctos ingredi portam Germanici Caesaris munere gladiatorio, quosdam inco-

ditos motus edidere, saltantium modo. Vulgare erat, per auras arma iacere non auferentibus ventis, atque inter se gladiatorios congressus edere, aut lasciuente pyrrice colludere: postea & per funes incessere, lectis etiam ferentes quaterni singulos, puerperas imitantes: plenisque horum triclinijs accubitu iere per lectos, ita liberatis vestigijs, ne quis potatium attingeretur.

De docilitate eorum. CAP. III.

10 **C**ertum est, unum tardioris ingenij in accipiendis qua tradebantur, saepius castigatum verberibus, eadem illa meditante noctu repertum. Mirum maxime, & aduersis quidem funibus subire, sed regredi magis utique pronis. Mutianus ter consul autor est, alium quem ex his & literarum ductus Graecarum didicisse, solitumque prescribere eius linguae verbis: Ipse ego haec scripsi, & spolia Celtica dicaui. Itemque se vidente Puteolis, cum aduerti e naue egredi cogentur, territos spatio pontis procul a continente porrecti, ut sese longinquitatis aestimatione falleret, auersos retrorsus isse. 20 Pradam ipsi in se expetenda, sciunt solam esse in armis suis, quae Iuba cornua appellat, Herodotus tanto antiquior, & consuetudo melius, dentes. Quamobrem deciduos casu aliquo vel senecta defodiunt: hoc solum ebur est, cetero, & in his quoque qua corpus intexit, vilitas ossis. Quamquam nuper ossa etiam in laminas secari caepere penuria. Etenim rara amplitudo iam dentium, praeterquam ex India, reperitur: cetera in nostro orbe cessere luxuria. Dentium candore intelligitur inuenta. Circa hos beuis summa cura: alterius mucroni parcunt, ne sit praesulis hebes: alterius operario 30 vsu fodiunt radices, impellunt moles. circumuentique a venantibus, primos constituunt quibus sunt minimi, ne tanti praesulium putetur. postea fessi, impactos arbori frangunt, praedaque se redimunt.

De clementia eorum, & quae pericula sua intelligat, & de tigridis truculentia. CAP. IIII.

40 **M**irum in plerisque animalium, scire quare petantur: sed & per cuncta quid caueant. Elephas homine obuius forte in solitudine, & simpliciter oberrante, clemens placidusque, etiam demonstrare viam traditur. Idem vestigio hominis animaduerso prius quam homine, intremiscere insidiarum metus, subsistere ab olfactu, circumspectare, iras proflare, nec calcare, sed erutum proximo tradere: illum sequenti, nuncio simili usque, ad extremum: & tunc agmen circumagere, & reuerti, aciemque dirigi: adeo omnium odori durare virus illud, maiore ex parte ne nudorum quidem pedum. Sic & tigris etiam feris ceteris truculenta, atque ipsa elephantum quoque spernens vestigia, homine viso 50 transferre dicitur protinus catulos. Quoniam modo agnitus? ubi ante conspecto illo quem timeret? Etenim tales syluas minime frequentari certum est. Sane mirentur ipsam vestigij raritatem, sed unde sciunt timendum esse? Imo vero cur vel ipsius conspectum paueant, tanto viribus, magnitudine, velocitate praestantiores? Num mirum haec est natura rerum, haec potentia eius, saeuissimas ferae

* pnicitate

* ipsum elephantum quod spernens, vestigio hominis viso transfer.